

NOBILI ADMODUM REVERENDO DOMINO

MATTHÆO DE COMITIBUS NENADICH STIPICH

Patricio Macarensi, jam in eadem Dice-
cesi per annos septemdecim Parocho,
Vicario Foraneo, Examinatori Synoda-
li, et ad præsens in Cathedrali Maca-
rensi Ecclesia Mansionario

PHILOSTORGIUS PHILADELPHIENSIS FELICITATEM.

Archidamus Eleis:

BONUM (erat) QUIESCERE.

59978 printer 5

Ignotus omnino Tibi, Tu vero virtutum
tuarum splendore mihi clarus admodum atque
perspicuus, pretiosum Tibi munus offero, hanc
videlicet Contribulis tui Refutatoriam Episto-
lam. Dalmatiam nunc demum peragranti, non
semel mihi se obtulit occasio eam in codice
MS. perlegendi. Circumibat Opella; publicam
tamen lucem minime aspiciebat. Quales quan-
tique factiosorum hominum conatus! Ad nihi-
lum tamen nunc omnes rediguntur. Me ipso
curante atque perurgente, Opella haec tandem
aliquando in lucem prodit. Sed cujus com-
mendata patrocinio? Tuo potissimum, VIR
PEREGREGIE, qui vitam explens fama melio-
re, quam fortuna. In patria tua hucusque
delituisti, quia nemo propheta acceptus in pa-
tria, et in domo sua. Verum Te norunt atque

depraedicant, quos in pietate, et Doctrina Domini eruditus Doctor instituisti: quos zelosus Pastor, verbo, exemplo, et Sacramentis enutristi: quos celebris jam inde ab Clericalis vitae cursu Concionator, Christianae professioni comparasti: quos Turcas per lavacrum regenerationis Christo et Ecclesiae adjunxisti: quos per Sacramentum reconciliationis ad sydera feliciter transmisisti: quos Ecclesiastico Tibi per tot annos tum in Imothensi, tum in Narentino Macarensis Diocesis Districtu commisso regimine, omnimodis in viam salutis et sanctitatis strenue deduxisti. Has ergo pulcherrimas virtutes, et merita tua posteritati celebranda transmittit, qui Te optime novit in Christo, et in ejus Ecclesia, cujus decor es, satisque pretiosum ornamentum. Accinge nunc, precor, lumbos tuos, acue linguam, obarma dexteram, sisque Opellae huic tutamentum atque praesidium semper. Vale plurimum.

EPISTOLA REFUTATORIA

§. I. Apologiâ, Ciccarelle, tuâ ad literarium certamen me provocas improvidus athleta, telis quidem improvidis confodiendus. Statim (1) tibi respondeo, ne si te criminantem convincere differrem, criminationibus in meis consentire, crimenque agnoscere viderer. In nostratem Maximumque Ecclesiae Doctorem Hieronymum gravissime peccasti, dum ejus patriae situs primum detectorem scriptis tuis indigne proscidisti. Condigna poenitentia velim tuas peccati poenas. Hieronymiano item gravissimo fuste confringam cervicem tuam, ut sapere discas; ejus in te stilum exacuum, ne iterum atque iterum desipias.

§. II. Ciccarelle garule, (nam hoc sonat cognomen tuum) quid fecisti? Italico, atque apud nos vulgari omnino idiomate acuisi linguam tuam in Marmora mea. Quare? causa facilius obtrectandi; atque ut Apologia tua per simplicium, imperitorumque circulos velociter

(1) Serius quam oportebat, haec Epistola in lucem prodit. Qui eam typis committendam sponderat, recepto autographo, quae Ciccarello majus facessebant negotium, excerpserit, hucque illucque distraxit. Ciccarelliana conjuratio opellam hanc ipsam dolose omnino discernere cogitabat, ut ne lucem quidem aspiceret. Ubi adversariorum innotuit malitia, confestim veneno antidotum appono, atque opellam Ciccarello incommo- dam, Aristarchis invisam, publici juris facio.

excurrat, muliercularum domos pervadat, consarcinatisque sophismatibus argumenta nostra dissolvise ostendet. Nullo sane aequitatis jure mecum decertasti. Nonne ut parcerem famae tuae latina vulgoque arcana lingua in Marmoribus Traguriensibus meis me defendi? Tu vero in me, et in historicam veritatem meam duplici aggressionem inimicus insurrexisti. Utile ratus sum cuncta molimina tua, quasi instructam aciem, contra me ex Apologia tua hinc inde excerpere, totumque hostilem exercitum tuum cum suis turmis ac ducibus singillatim congregare, invadere, prosternere; ne post hanc ipsam victoriam, alia mihi tecum praelia nascantur. Igitur non dimicabo contra primam, aut secundam Apologiae tuae turmam, nec paucarum ero passiva congressione contentus; toto mihi certandum est agmine; et incompositi hostiles cunei tui, ac latrocinii more pugnantem, instructa et ordinata acie repellendi. Singulas ergo Apologiae tuae strophas exagitaturus, calamum arripio, atque ad eam refellendam descendo, non ulciscendi cupidine, non voluntate gloriolae captandae, sed unius tuendae veritatis amore.

§. III. Jam vero tecum, Ciccarelle, colaturus pedem, peto abs te, quid sibi velint scommata illa in me tua, quae Apologiae praemittis, eamque frequenti nominis mei ludibrio infarcis? Dum omnia, et singula aliis ridenda dimitto, ad nostratis Hieronymi iudicium quoad carmina poetarum provoco, qui (1) sic

(1) Ep. 21. ad Damasum tom. 1. pag. 75. n. 13. Venetiis 1766.

ait: „ Daemonum cibus est carmina poetarum, „ saecularis sapientia, Rhetoricorum pompa verborum... Nulla ibi saturitas veritatis, nulla refectio justitiae. Studiosi earum in fame veri, et virtutum penuria perseverant.“ Quid tibi, quaeso, cum Canonici, juris utriusque Doctoris, et Academici plusquam venerandis nominibus meis? Canonicum me vocas, ut pessundes, Doctorem, et Academicum per ironiam appellas, ut me hominem sine literis notes, ac veluti de libro viventium deletus fuerim, nullis me urbanitatis officiis, quibus nos invicem palpare solemus homines, prosequeris. Vide, quo te perduxit caeca injurias mihi inferendi libido! In Marmoribus ipse meis nec ego me Canonicum, nec Doctorem, nec Academicum inscripsi. De Antiquitatis argumentis sermo habebatur; de quibus quidem nec Canonicus, nec Doctor, nec Academicus, nisi sit etiam Antiquarius, disserere, sententiamque jure ferre potest. Tu vero hisce omnibus titulis destitutus, audes Antiquitatis Studiosum ex eo ipso capite subsannare, quod videlicet sit Canonicus, Doctor, et Academicus, quorum singula sufficiunt, ut aestimationem ingerant, nequaquam vero vituperationem? Si detraxisti mihi in Traguriensibus Marmoribus meis te laudanti; quid intemperantiam tuam impraesentiarum redarguenti facturus es? Postquam in Castellum... Ciccarelle, tibi cognitum navigare coepisti, ad intimum cerebrum tuum sentinae putredo pervenit; irarumque concitus aestro, lacessere non desinis me ipsum, et Marmora mea. Parce, precor, tibi; parce

nummis tuis, quos in edenda Apologia tua apud typographos prodigis: parce mihimetipsi, quem in Apologia tua laceras, susque deque habes. Memento, quid a parva aetate didicisti, quibusque assuetus sis disciplinis. Stulte facis, quoties te in magistrum erigis Antiquitatis. Marcus Terentius Varro tunc istiusmodi magisterii dignitatem obtinuit, cum 45. Libros Antiquitatum, quatuor vero de vita populi Romani conscripsit. Tu vero in Antiquitatis scientia hospes omnino et peregrinus, a proposita concertatione discedens, facilitate, quâ cuncta scribis, et impunitate, qua tibi licere omnia putas, me quoque in interpretandis Marmoribus meis arguis ex tripode, cum in hisce studiis non doctoris, sed discipuli habes officium. Dum ergo in Lapidaria meam vis arguere imperitiam, ignorantiam tuam produs usquequaque. Scito, stultorum esse solatium, doctos carpere. Absque morsu hominum, virorum eruditorum opera ferme nunquam in lucem prodeunt. Cesset praesumptio, cesset invidia; cessabit et literatorum vexatio.

§. IV. Transeamus ad caetera: neque enim Epistolae brevitatis patitur, singulis tuis naeniis diutius immorari. Objicis mihi plagium, cujus non habeo conscientiam. Criminaris (1), quod ex Lexico Septem Linguarum exscripserim adverbii *quondam* commentaria. Stilus et saliva docet; cujus authoris sit illa loquendi ratio, quam tu de me ex Lexico eodem excerptis gravaris: sicque fit, ut dum vis culpaē plagii

(1) Apologiae pag. 10.

aliud notare, ipse noteris calumniae. Novum omnino in studiosos homines hoc sycophantiae genus non est. Pulcherrime in rem conquestus est etiam (1) S. Hieronymus: „ Qui in principiis librorum (ait) debebam sequuturi operis argumenta proponere, cogor prius respondere maledictis, Terentii quippiam sustinens, qui Comoediarum Prologos in defensionem sui scenis dabat. Urgebat enim eum Luscus Lanuinus, nostro Luscio similis, et quasi publici aerarii Poetam furem criminabatur. Hoc idem passus est ab aemulis et Mantuanus Vates, ut quum quosdam versus Homeri transtulisset ad verbum, compilerator veterum diceretur. Quibus ille respondit, magnarum esse virium, clavam Herculi extorquere de manu. Sed et Tullius, qui in arte eloquentiae Romanae stetit, rex oratorum, et Latinae Linguae illustrator, reperturum accusatur a Graecis. Non mirum ergo (dicam verius et ego cum Hieronymo) si contra me parvum homunculum immundae suae grunniant, et pedibus margaritas conculcent, quum adversus doctissimos viros, et qui gloria invidiam superare debuerant, livor exarserit. Verum hoc illis merito accidit, quorum in theatris, curia, concione, pro rostris eloquentia pertonabat. Semper enim in propatulo fortitudo aemulos habet, *feriuntque summos fulmina montes*. Me vero procul ab urbibus, foro, litibus, turbis remotum, sic quoque (ut Quintilianus

(1) Praefat. in Libr. Hebraicar. Quaest. in Genesim.

ait) latentem invenit invidia. " Atque ex recitato Hieronymiano textu intellige, Ciccarelle, plagii telum abs te intortum, sola omnino fuisse exacuatum invidia. Scire ne cupis, qua ratione studiis ipse vacare consueverim, ut perspicias, me in conscribendis opellis meis non plagiarium esse, sed authorem? Audi, et audiendo disce. Qui enim de fontibus ipsis bibere nunquam ferme intermitto; ut quid opus esse mihi putas perstrictos Dictionariorum rivulos quaerere? Scire te, Ciccarelle, vole, operis mei et studii esse, multos multumque legere; ut ex plurimis diversos flores carpam, non tam probaturus omnia, quam quae bona sunt electurus, assumo multos in manus meas, ut a multis multa cognoscam, sicque bona et meliora memoriae commendem, ut his utar, cum opus fuerit bonitatem, scientiam, disciplinamque tueri. Id quidem in assiduam Auctorum lectionem incumbenti passim evenit, ut in ventre memoriae plurima coacervans, scribat, cum scribendum est, quidquid venerit in mentem, sive suum illud fuerit, sive alienum, nec ordinis, nec verborum, cuius sint, interdum nec sensuum memor. Pluribus in rem exemplis te, Ciccarelle, revincam. Paulus Apostolus, Ecclesiae Patres, et Doctores in Operibus suis doctrinales adhibent aliorum sententias, ad verbum ex autographis desumptas, reticentes ut plurimum fontes ipsos, ex quibus rivulos in propria scripta derivarunt. Nonne Paulus scripsisse perhibetur sententiam illam, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, quae est senarius jambicus e Menandro depromptus? Etiam ex Arato Poeta desumpserat

Apostolus, *Ipsius enim et genus sumus*; et ex Epimenide Cretensi Philosopho illud: *Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri*; et tamen Paulus nec Menandrum, nec Aratum, nec Epimenidem ne quidem commemoravit, sed eorum sententias non secus ac suamet ipsas proloquutus est. Insignior prae caeteris in hac scribendi ratione evasit nostras Hieronymus. Satis sit ex pene innumeris vel unum in rem exemplum adducere (1). „ Egre „ dere (ait) quaeso paulisper de carcere, et „ praesentis laboris ante oculos tuos tibi pin- „ ge mercedem, quam nec oculus vidit, nec „ auris audivit, nec in cor hominis ascendit. „ Scimus haec verba *nec oculus vidit etc.* Hieronymi verba non esse, sed Pauli (2). Et tamen nec Paulum Hieronymus citat, nec sententiam, velut ex alio Authore desumptam subsignat. Fuit ne quisquam ex doctis viris, qui idcirco sugillaverit Paulum, Hieronymum, aliosque, qui quasi plagiarum aliena exscripserint? Nemo unus extitit, qui eoque inconsiderantiae progressus sit. Solus Ciccarellus est hac nostra aetate, qui nodum in scirpo quaesivit, meque explicite, caeteros vero Scriptores implicite, veluti plagiarum, omnium primus causatus est.

§. V. En tandem aliquando evomisti, Ciccarelle, quod volebas, et omnis animi tui tumor in nostrae accusationis erupit invidiam. Dicis, atque inconditis vocibus clamitas, quod

(1) Ep. 22. ad Eustoch. n. 41. pag. 125. edit. ut supra.

(2) 1. Cor. 2. 9.

ex Calepino septem Linguarum exscripserim haec verba: *Quondam adverbium est temporis ec.*, quodque citationem reticuerim *Cic. Catil. l. c. i.* Tam in Dictionario septem Linguarum Fratris Ambrosii Calepini (1), quam in Calepino septem Linguarum in usum Seminarii Patavini (2) desunt omnino praefata verba. In altero ergo te, Ciccarelle, vinctum fatearis necesse est, vel subsignata verba in Calepino nunquam extitisse, ut ejusdem Calepini binae editiones probant; vel Calepini citationem confinxisse, ut vel sic rudi plebeculae imponas. En ut te invitum ac repugnantem in vincula veritatis conjeci! Ne igitur exultes in mendacio et audacia. Agnosce te ipsum vel falsarium, vel imperitiae reum. Neque me sugillare debueras, quod adverbii *Quondam* significandorum temporum varietatem, textibus Auctorum comprobaverim. Quis enim unquam in Scriptorum contumeliam textuum prolationem vertere ausus est, quibus doctrinam, quam tradunt, illustrare tuerique consueverunt?

§. VI. Nec satis tibi, Ciccarelle, fuit me plagiarum crimine notare velle: etiam Grammaticae rudem proclamasti. Quid, quaeso, mihi Grammaticae quisquillas objectas? *Medice, cura te ipsum*: tritum proverbium. Tuos videlicet primum grammaticales errores corripge; deinde alienos reprehende. Unum tibi in Latino Italicarum opellarum tuarum Marmore

(1) Venetiis 1700. apud Antonium Bortoli pag. 695.

(2) Patavii typis Seminarii 1752. apud Jo. Mauffré pag. 216.

nuncupatorio detego (1), in quo *desiderantissimo* pro *desideratissimo* scripsisti. Caeteros consulto praetereo: sapientibus enim, et insipientibus debitores sumus. Ad grammaticum mihi exprobatum mendum, buccisque crepantibus depraedicatum, pro me respondeat tibi S. Augustinus (2): „Bonorum (inquit) ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum „amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quaerimus, nisi patere quod clausum est? Si (3) enim non piguit dicere Interpretes nostros (4) *non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*, quoniam niam senserunt ad rem pertinere, ut eo loco pluraliter enuntiaretur hoc nomen, quod in latina lingua tantummodo singulariter dicitur: cur pietatis doctorem pigeat imperitis loquentem *ossum* potius, quam *os* dicere, ne ista syllaba non ab eo quod sunt *ossa*, sed ab eo quod sunt *ora* intelligatur, ubi Afrae aures de correptione vocalium, vel productione non judicant? Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino

(1) *Opuscoli ec.* Ragusa 1611. pag. 3.

(2) De Doctrina Christiana lib. 4. cap. 11. pag. 144. Venetiis apud Radici 1764. §. *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, nonne quotidie dicit et canit Ecclesia: nec tamen quisquam audeat eam de grammaticali errore corripere;

(3) Loco cit. cap. 10. pag. 142.

(4) Psal. 15. 4.

„ nulla sit causa, si quod loquimur non in-
 „ telligunt, propter quos ut intelligant, lo-
 „ quimur? “ Malo a Grammaticis corripri, quam
 ab indoctis non intelligi. Haec, Ciccarelle, ti-
 bi Augustinus meo nomine.

§. VII. Quod exprobras, Ciccarelle, mi-
 hi (1), te a me primum laudibus cumulatum,
 deinde vero in eadem opella mea paulo post
 quae a veritate aberrant, rejicientem; scito,
 idipsum et S. Epiphano Episcopo, in digladi-
 ationibus cum Joanne Jerosolymitano habitis,
 evenisse, prout refert (2) S. Hieronymus, qui
 Joanni laudes Epiphani sibi recitatas oppo-
 nenti, in hunc modum respondit tum Joanni
 pro Epiphano, tum tibi pro meipso: „ Quia
 „ vero solent interdum homines laudare quod
 „ non probant, et alienam stultitiam cassis nu-
 „ trire praeconiis, non solum tua dicta lauda-
 „ vit, sed laudavit atque miratus est: et ne
 „ miraculum quoque parvum esset, catholicae
 „ esse fidei omni populo declaravit. Haec quam
 „ vere dixerit, et nos testes sumus, qui audi-
 „ vimus... “ Quod ingenuo viro, atque Ec-
 clesiastico Scriptori convenire Hieronymus edi-
 cit, tu, Ciccarelle, in me audes improperiis, di-
 cteriisque reprobare? Audi iterum Hierony-
 mum (2): „ Non esse vitii hominem unum
 „ laudare in aliis, et in aliis accusare; sed
 „ eandem rem probare, et improbare. Pona-
 „ mus exemplum, ut quod non intelligis, pru-
 „ dens mecum lector intelligat. In Tertulliano

(1) Apologiae pag. 4.

(2) Lib. contra Jo: Jerosolymit. tom. 2. n. 14.
 pag. 421.

„ laudamus ingenium, sed damnamus haere-
 „ sim. In Origene miramur scientiam Scri-
 „ pturarum, et tamen dogmatum non recipi-
 „ mus falsitatem etc. “ Tandem aliquando in-
 tellige et tu, Ciccarelle, me in vitio non esse,
 si in eodem homine et laudanda praedicem, et
 vituperatione digna reprehendam.

§. VIII. Nec satis: objectas insuper mihi,
 quod toties me in Asceseos Magistrum attolle-
 re praesumpserim. Qui mente motus est, aut
 insanit manifeste, sic effutire potest. Pastores
 et Doctores nonne posuit Christus in Ecclesia?
 Vicarium Episcopi mei pastorale munus trigin-
 ta ferme annorum spatio perferre coactus, non-
 ne pro muneris ratione debueram verbo, exem-
 plo, sacramentis, ipsissimisque scriptis concre-
 ditarum mihi animarum salutem pro virili pro-
 curare? Ascetica ergo argumenta potissimum
 pertractanda mihi supererant, sicque omnes
 Christo lucrifacere, prout opellis meis typis
 impressis perficere conatus sum. Non fuit ergo
 malum Ascetica pertractare; sed pessimum est,
 Ascetica, ipsumque Asceseos doctorem irridere.
 Si prava scripsissem, recte poteras opellarum
 pravitatem condemnare: in publica enim inju-
 ria omnis homo miles est; et ideo in pra-
 vos scriptores insurgere, eosque sana doctrina
 repercutere quilibet homo jus habet. Verum
 si cuncta in rem perscripta Ecclesiae dogmati-
 bus, bonis moribus, et exactae disciplinae sunt
 consona, publicoque comprobata judicio, quid
 tu, Ciccarelle, qui scripta mea, quae sunt sine

(1) Lib. 3. contra Ruffinum, tom. 2. n. 27.
 pag. 555.

macula, probriis cumulas, diceris iaceras, fastu parvipendis? Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, cur ine caedis? Consule, Ciccarelle, sententias, quas de me, deque opellis meis protulerint Romanorum doctissimi, summique Viri, qui Ephemerides Ecclesiasticas (1) Romae ediderunt. „ Bonus homo, (ait Christus in Evangelio) „ de bono thesauro profert bona; et malus homo de malo (2) thesauro profert mala: atque ex (3) pomorum dulcedine generosi seminis arbor agnoscitur.

§. IX. Verum ne putes Ephemeridum citatione, quas forte nunquam vidisti, me verbis velle te circumducere, unam alteramque ex tot aliis accipe sententiam in haec verba: „ Venezia. *Vita S. Sabbac etc. opera et studio Joannis Josephi Paulovich Lucich*. Merita di essere anche più conosciuto fra noi „ l'illustre ed erudito Ecclesiastico, editore, „ e illustratore di questa breve vita, che dagli ultimi termini della (4) Dalmazia, arricchisce di tratto in tratto di belli opuscoli „ la Repubblica letteraria, e a uno spirito tutto di Chiesa unisce una erudizione

(1) Tom. 6. 1791. pag. 196. Tom. 7. 1792. pag. 199. Tom. 8. 1793. pag. 8. et pag. 196. Tom. 9. 1794. pag. 39. 117. 198. Tom. 10. 1795. pag. 135. 159. Tom. 11. 1796. pag. 111. 112. 155. Tom. 13. 1798. pag. 9. 21.

(2) Matth. 12. 35.

(3) D. Hieronymus tom. 2. lib. 2. contra Ruffinum n. 23. pag. 517.

(4) Tom. 6. 1791. pag. 196.

„ non comune nella sacra antichità, e specialissima nella storia patria... Quindi è anche, che la (dottrina) del Sig. Paulovich, „ e le sue sentenze, anche in materie opinabili, risentono poco de' cambiamenti indotti „ dal tempo, dalle circostanze, dallo stile introdotto; e sembra sovente un uomo, che „ viva nel sesto secolo ec. „ Scis ne, Ciccarelle, quibus Sanctis Patribus, et Ecclesiasticis Scriptoribus exiguitatem meam supra recensiti viri comparaverint? Ego licet rubore suffusus, dicam tibi, ut te mihi, et opellis meis injuriam, tantorum virorum autoritate revincam; quin potius dicat tibi Clarissimus Joseph Weiffenbach (1), qui capite 1. exhibet accurata recensione ordinem chronologicum Patrum latinorum Saeculo VI. sic: „ Victor, „ Episcopus Cartennensis. Julianus Pomoerius, „ apud Arelatem Abbas. Ruricius, Episcopus Lemovicensis. Venantius Fortunatus, Episcopus Pictaviensis. Paschasius, Diaconus Romanus. Alcimus Ecdicius Avitus, Archiepiscopus Viennensis. S. Ennodius, Episcopus Ticinensis. Severinus Boethius, Consul Romanus. Dionysius Exiguus, Scytha, Abbas Monasterii Romani. Montanus, Episcopus Toletanus. S. Remigius, Episcopus Rhemensis. S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis. „ Ferrandus, Diaconus, hujus discipulus. Petrus, Diaconus graecus. S. Eleutherius, Episcopus Tornacensis, Martyr. S. Justus, „ Orgelitanus Episcopus. Arator, ex Comite,

(1) De Eloquentia Patrum tom. 1. pag. 23. 24. Augustae Vindelicorum 1775.

„ Romanae Ecclesiae Subdiaconus, Poeta. S. Caesarius, Episcopus Arelatensis. Vigilus, Episcopus Tapsensis. Victor, Episcopus Capuanus. Rusticus, Romanae Ecclesiae Diaconus. Primasius, Episcopus Adumetinus. Junilius, Episcopus Africanus. Liberatus, Archidiaconus Carthaginensis. Facundus, Hermianensis Episcopus. Marcus Aurelius Cassiodorus, Consul Romanus, et Regibus Theodorico, et Athalarico a secretis. Nicetius, Episcopus Trevirensis. Victor, Episcopus Tunonensis. S. Martinus, Episcopus Bracarensis. S. Gildas sapiens, Presbyter Britannus. S. Gregorius, Episcopus Tunonensis. S. Leander, Episcopus Hispalensis. „ His adde S. Joannem Climacum, et S. Isidorum Hispanum, ut in Apparatu ad Theologiam (1).

Accipe, Ciccarelle, et aliud Doctissimorum (2) Romanorum de me, deque meis opellis testimonium. „ Venezia. *De supplicio Aedificiorum sub Diocletiano Imperatore* . . . „ *Auctore Jo: Josepho Paulovichio Lucichio* . . . „ Il nostro celebre Autore pieno di erudizione Ecclesiastica, e di zelo nell'investigare gli antichi monumenti del cristianesimo, e massime quelli della sua patria, ecocolo a produrre questo prezioso opuscolo, col quale arricchisce i fasti gloriosi di Chiesa santa . . . „ Onde pago rimanga il lettore, quando è giunto al fine dell'opuscolo, ed ammirato nell'aver in poche carte rinvenuta tanta dovizia. Chi è informato dell'instancabilità,

(1) Romae 1773. pag. 137. 139.

(2) Tom. 13. 1798. pag. 9. 11.

„ erudizione, criterio, zelo, pietà del nostro Autore, conclude subito, che egli in poco sa dir molto, bene, e con divota unzione. „ Confer nunc, Ciccarelle, praeoccupatum iudicium tuum de me, de Ascesi, et de scriptis meis, cum allatis summorum Virorum sententiis; et deprehendes, si vere volueris intelligere, te esse mendacem filium hominis in state- ris, factumque iudicem cogitationum iniquarum.

§. X. Quid mihi recitas virorum illustrium Spalatensium (1), aliorumque ex Dalmatia, et ex Italia nomina? Revereor ego eorum (2) dignitatem, auctoritatem veneror, religionem suspicio, scientiam laudo, eruditionem non pertimesco. Eos omnes tibi, et ei, cujus patrocinium suscipis, favere, Ciccarelle, putas, ut rationem, et veritatem evertas? Sed falleris egregie. Unius ex iis, quorum recensebas nomina, sententiam tibi prodece statueram, ut ab uno discas, quid cordati caeteri de te, deque amico tuo *Micheli Vitturi* sentiant; sed in te motus misericordia, monumentum, quod autographum servo, premo silentio. Tu quidem ab uno disce omnes: nec tuo jungas velim satellitio viros, qui cultores veritatis, in eam dignoscuntur partem sponte propendere suae ipsorum voluntatis inclinatione, ubi ratio suadet, ubi veritas lucet, ubi autoritas

[1] Apologiae pag. 4. 20. 31.

(2) Percipe, Ciccarelle, Coletiana etiam de me sensa, qui Illyrici S. tom. 6. pag. 48. 49. sic ait: „ Jo: Josephum Paulovichium Lucichium . . . „ quem de literaria atque ecclesiastica re optima „ meritum honoris causa nomino. „

praeponderat. Duo ex discipulis Jesu in Castellum Emmaus euntes, illuminati sunt: tu eruditioni tuae auxilium petiturus, Castellum N. frequenter adeundo, caecitate sic percussus es, ut magna sectando, etiam minora perdidisti. Risum idcirco tenere non possum: atque ut eruditi etiam viri tuis ridere queant impensis, jam te in verae argumentationis appendam equuleo, tuumque torquebor ingenium, donec omnino deficias, nihilque de caetero nutire audeas.

Quaeso lectores nostros, ut extra partium studia de digladiationibus hisce meis cum adversario meo sententiam colibeant usque ad finem responsionis meae, eamque, auditis partibus, ferant, sicque nec mihi, nec Ciccarello faveant, neve personas scribentium, sed causam, ejusque singula momenta considerent: praepropero namque judicio reus passim absolvitur, simulque innocens damnatur. Summae rei nostrae argumentum conficiamus.

§. XI. Nervis omnibus pertinaciter, Ciccarelle, contendis, Frescot fuisse primum Hieronymianae Stridonis detectorem. Nullam in assertionis tuae subsidium profers auctoritatem, nullas ostendis antiquitatis tabulas, nullum recitas testem qui fide dignus probet, quod ipse asseris. Unus argumentorum tuorum Achilles est, quod Frescot omnium primus scripserit *Æquum* Stridoni limitrophum. Id quidem ante te sciebant Stiltingus, Dolci, Coletius, aliique, qui de Hieronymi patria disseruere; quippe qui hanc tuo judicio reconditam eruditionem ignorare nequaquam poterant, praesertim cum opella Frescot typis edita, atque ubique pervagata, Scriptorum istiusmodi manus

minime gentium effugerit. Dic sodes, quid unquam causae fuerit, quod Scriptores recensiti de Hieronymianae Stridonis situ ad invicem non convenerint, cum ipsis jam perspicuum fuerat opellae Frescot arcanum, *Æquum* nimirum Stridoni extitisse limitrophum; quin potius alii ex ipsis Stridonem in Istria, alii in Pannonia, alii alibi positam contendebant? Dispar ergo tot Clarissimorum Scriptorum de situ Stridonis sententia, nonne conficit irrefragabile argumentum contra pueriles naenias tuas, quas de *Æquo* in Apologia tua insipienter conglomerasti?

Jam vero superest inquirendum cur praefati Auctores scientes *Æquum* Stridoni limitrophum, de situ Stridonis ad invicem non convenerint. Non aliam reor ob causam de situ Stridonis secum ipsi dissidebant, nisi quia deperditum omnino *Æqui* situm invenire amplius nequiverant. Quomodo, inquis, si Frescot *Æquum* locat ubi *Cluzzi*, seu *Clucci* Illyricae? Respondeo: idipsum nec supra memoratos Scriptores ignorasse, et tamen de situ Stridonis convenire minime potuisse. Quare? Quia dum ignotum per ignotius inquiritur, veritas frustraneo labore quaesita, eo amplius ignoratur. Alterum ergo, Ciccarelle, fatearis necesse est, vel ipsum *Clucci* nomen a primaevo suo nomine omnino immutatum, vel penitus quoad situm fuisse deperditum.

§. XII. Deinde: quaenam est, Ciccarelle, nova haec tua inepta argumentandi ratio? Ut in incepto persistas, demonstrare conaris in Apologia tua, quod de *Æqui* situ jam certissime constet, cum *Æquum* extitisse una cum

Frescot contendis, ubi *Clucci* Illyrice, seu *Cluzzi*; situm vero ipsum *Cluzzi* sic ignoras cum caeteris, ut dubitanter in Apologia tua (1) dicas, *Gardum* nostrum *forsan* *Cluzzi*, seu *Citluk* esse. Regulas demonstrationis ignoras, qui de eo, quod demonstrare putas, ipse dubitas. Audi Logicae praeceptum (2): „Legi-
„tima demonstratio duo exigit, alterum, quod
„in materia nihil incerti, et dubii sit, alte-
„rum, quod in forma nullum sit vitium. Haec, Ciccarelle, perdiscere debueras, priusquam in certamen mecum descendere cogitabas. In Apologia tua ostentas te in geographicis studiis valde peritum; deinde non secus ac puer parvulus in Geographia ineptis. Quis negabit, verba tibi de alieno stomacho non fluxisse? et tamen *Gardum*, *Clucci*, *Citluk* unico concludis situm; tantaque audacia tot geographica loca et nomina destruis, ut *Gardum*, *Clucci*, *Citluk* uni *Æquo* adjicias: quod falsum omnino. An ignoras, quod alius est locus *Citluk*, alius *Gardum*; et *Citluk* viculus a *Gardum* hodierno undecim circiter milliaria distet? (3) Verum tu, Ciccarelle, nauci facis rationem ipsam, Geographiam, Historiam, et auctoritatem, dummodo mendaci verbositate *Æqui* situm a me ipso minime fuisse detectum effutias. Nemo eum noverat, nec in hodiernam usque diem novisset, nisi Marmor in

(1) pag. 9.

(2) Logica sive Ars cogitandi. Venetiis 1765. part. 4. cap. 8. pag. 283.

(3) Nouvelle Carte de la partie occidentale de Dalmatie dressée sur les lieux à Venise 1780.

Gardum postremis hisce temporibus effossum *Æquensis* Municipii literis insculptis nomen indigisset. Ubi vero, me primo scribente, id innotuit; tunc de Stridonis situ Clarissimus Coletius, et quotquot detectum cognoverant, convenerunt mecum in unum. Tu, Ciccarelle, solus a caeteris dissides, qui geographicam veritatem non de intimo detecti Marmoris fonte libasti, sed incertitudinis rivulos persequi voluisti; tantaque operositate, quod volebas, usus es persuadendi, quanta semper falsitas indiget; ut vera videatur. Unus auctor exscripsit ex alio *Æquum Cluzzi*, seu *Clucci*; nullus investigavit, utrum *Cluzzi* nomen *Æquore* ipsa conveniat, ubi vere esset locus, et num corrupta, seu immutata fuerit ipsamet *Cluzzi* nomenclatio. Ostende mihi *Gardum* hodiernum nostrum olim *Cluzzi*, seu (1) *Clucci* vocitatum, *Cluzzi*que *Æquense* Municipium nostrum reapse fuisse; et si poteris monstrare, victum me esse fatebor in eo, quod Frescot. ante me Hieronymianae Stridonis locum posteritati aperuerit, quod tamen nunquam demonstrabis, cum *Gardum* nullo unquam tempore, et eo praesertim, quo Lucius Villanovanus, Philippus

(1) Actualem *Gardum* Parochum Michaelē Xuglievich per litteras consului, num in loco supersit traditio, quod ullo unquam tempore *Cluzzi* rus *Gardum* appellaretur, seu alio quopiam nomine: qui, adhibito seniorum consilio, interrogatoque etiam Clariss. Viro Leonardo Crusevich, in rem dedit responsum, *Gardum* ab immemorabili tempore semper *Gardum* solummodo fuisse nuncupatum.

Ferrarius, Michael Antonius Baudrand, et Frescot scribebant, Cluzzi, seu Clucci appellabatur. Velis ergo nolis, Ciccarelle, fatearis necesse est, non a Frescot, sed a me ipso *Aequi* situm vere fuisse detectum. Ad haec sudare tibi frons, pallere genae, tremere labia, haerere lingua, saliva siccari, et plus rubore, quam aetate contrahi. Insipienter abs te scriptum, sapienter fortiterque hic loci erat refellendum. Rationum, auctoritatumque momenta sunt sagittae, quibus confoderis; sunt tela, quibus insanabiliter vulneraris. In Nioben te video immutatum, quae nimio fletu in lapidem versa est.

§. XIII. Quereris, cur opposuerim clypeum pugioni tuo, et quasi convitiatus amico, dissolverim amicitiam? Hoc ipsum in te retorquebo. Quidquid enim me non fecisse causaris, quare non ipse fecisti? Velut si quis pugnis aliquem calcibusque collidens, si resistere voluerit, dicat ei: nonne tibi praeceptum est? *Si quis (1) te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram?* Quid enim, bone vir, tibi praeceptum est ut me verberes, oculum mihi effodias; et si paululum me commovero, amicitiam dissolvisse cantabis?

Accipe in rem factum cujusdam Franciscani ab a Lapide relatum (2). In Belgio namque irrisus ab haeretico procaci viro, alapaque percussus, cum stulte is Fratri Franciscano objiceret, ut alteram maxillam pariter percutiendam praeberet; scriptum est enim, ait: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam,*

(1) Matth. 5. 39.

(2) Tom. 4. in Prov. Salomonis pag. 566.

praebe illi et alteram. Tu autem cum tuis, Evangelii custodem ad litteram te profiteris. Tunc sagax aequae ac nervosus Frater haeretici audaciam stultitiamque sapienter fortiterque contudit: nam statim prostratum in terram pugnis graviter caecidit, dicens: *Scriptum est pariter: Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Cum tertius quis superveniret, pugilatoremque Fratrem ab haeretico male habito separare vellet, *Sine* (inquit Franciscanus); *doceo enim haereticum hunc sacras Scripturas, quas stulte citavit, sane intelligere. Scriptum est enim: Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Atque hoc est dicere, passim juxta SS. Patrum, Interpretumque sententiam, nempe, tunc oportere respondere stulto juxta stultitiam suam, cum scilicet ille insolescit, et sibi videtur prae aliis sapere, ut sic et stulta sua ipsius retundatur praesumptio, et pari ratione audientium prospiciatur insolescendi periculo.

§. XIV. Jam vero, compressa, Ciccarelle, insolentia in me tua, vis ne scire tortas omnium argutiarum tuarum strophas? Ausculta quid insuper feceris. Absque causa, et aberrando a proposito tuo insurrexisti in me, et in Marmora mea. Necessitas mihi fuit, non voluntas, falsas partim, partim vero subdolas Apologiae tuae assertiones veris responsionibus subvertere. Si in mei defensionem haec omnia perscribo, in te culpa sit, qui provocasti, non in me, qui respondere compulsus sum. Cujus autem auctoris sit totius Apologiae eloquium, stili cauteriantis proprietates satis demonstrat.

§. XV. Sed ad causam iterum redeamus.

Non simplici a te animo scriptum fuit, quod Stridonis situm non ego, sed Frescot ante me reperit, idque, te laudem, atque rumusculos, vulgique gloriolam requirente, ut de nobis imminutis, atque in nihilum, conatibus tuis, redactis cresceres; ut multi de plebe cognoscerent, te provocare, me tacere; te scribere ut doctum, historiae, criticesque valde peritum; me tacere, ut illiteratum, ineruditum, atque totius Frescot meriti primatum surripientem. Si nemo a te postulabat, quis ille fuerit, qui omnium primus Hieronymiana Stridonis locum ipsum detexerit; stulte quidem tanta disputandi nobiscum voluisti subire discrimina. Tranquilla inter nos erant omnia. Tu vero zelotypiae, seu potius invidiae, *quae etiam Sanctos adussit*, percitus oestro, dum palmam eripere mihi conatus es, tempestati caput ipsum tuum submisisti, ut confractum desipiendi finem faceret, *atque ab originali ferme Dalmaticae nationis vulnere peccati tandem aliquando sanaretur. Quo quidem probaris invidus agonotheta noster: palma enim nostra nullam tibi parabat ignominiam. Atque hinc dicteris, ut fecisti, lacerare quidem poteris: veritate me nunquam revinces.*

§. XVI. Curramus ad reliqua. Fastidiosus aestimator opellae meae, cui titulus: *L' albero del buon, e del cattivo Critico*, eam in pluribus Apologiae tuae paginis tu, Ciccarelle, habes ludibrio, quam vix noscis de titulo, sicque blasphemias quod ignoras. Quatenam sit haec tua praepropera Libros ignotos dijudicandi ratio, prudentes cordatique viri suam pro tuo meoque merito ferant sententiam. Pisonianum

vitium esse, Ciccarelle, scias, loqui nescire, et tacere non posse.

§. XVII. Nonne te puduit in Apologia (1) tua etiam illud deliramentum prodere, quo aliam ab Dalmatica Stridonem extorquere conaris ab Auctoribus, eique in Pannonia locum sistere? De Hieronymiana Stridone illi quidem disserebant: et sicut hanc inculpato iudicio in Pannonia extare putabant; (nondum enim Aequensis Municipii Marmor prodierat in lucem) ita etiam Pannoniam Stridonem appellarunt, profecto non aliam a nostra, sed Hieronymianam, quae una re et numero fuit. Quod si aliquid conficeret miro vere acumine perstricta argumentatio tua, tunc tot Stridones in mundo reperirentur, quot diversae Nationes Hieronymum velut contribulem suum sibi arrogarunt. Septem namque gentium auctores eum conterraneum suum esse scripserunt: ipseque Clarissimus Dolci Istrum fuisse commemorat; sicque in sua ipsius sententia Stridon una etiam in Istria ponenda esset, quod falsum omnino. Vide nunc, Ciccarelle, qualiter erres. Doces quod nescis: scribis quod ignoras. Tu in Apologia tua te non tui merito et ratione, sed aliorum errore defendis. Aberrantium multitudo non pariterro patrociniū. Erraverunt quot quot scripsere Episcopaliū Ecclesiarum catalogos in eo, quod Stridonensem Episcopalem urbem vel reticere ignorantia, vel nescientia statuere extra Dalmatiam intra Pannoniae, vel alterius cujuscumque regionis terminos. Verum ignoscenda est eis nescientia, quia Aequensis

Municipii Marmor non ipsorum, sed nostra est eruderatum aetate; pariterque tolerari debet ignorantia eorundem, cum ex professo, ut ajunt, de Stridonis quaestione tractatores non extiterint. Tu vero, Ciccarelle, caecutis in meridie: dumque me ipsum coarguere de errore praesumis, tam nescientia, quam ignorantia, et quod pessimum est, ipsamet pervicacia errasse deprehenderis.

§. XVIII. Pernego subscriptionem *Domni Stridonensis in Pannonia Episcopi*, ut tu refers in Apologia (1) tua. Ipse meis oculis in Labeana Collectione Conciliorum, quae apud piissimos doctissimosque Patres Scholarum Piarum Ragusii extat, inspexisse, Domnum se Stridonensem Episcopum, nequaquam vero *Pannonem* subscripsisse. Domni subscriptio, non Labei Apparatus et Synopsis est attendenda. Labeus cum Domnum Pannonium scripsit Episcopum, caeterorum Scriptorum errore deceptus, nolens ac invitus sic scribendo decipit. Tu vero fraudem, Ciccarelle, tuam meo audes errori imputare? Superfluo labore desudasse compereris, dum tot testes, qui ad rem minime pertinent, coacervasti, ut videlicet densa atque caliginosa veluti nube magis magisque obruaris, non vero tot rationum mearum momentis prostratus, releveris.

§. XIX. Parum tibi, Ciccarelle, fuit hucusque me, et opellas meas in Apologia tua canino dente rodere, lacerare, convellere: nunc stilum malignantis naturae arripis; et quasi per trabem oculi tui festucam alterius educturus, non solum exprobras (2), quod non recitaverim

[1] Pag. 18.

(2) Apolog. pag. 18. 19.

Urbanæ Constitutionis *Zelo Domus Dei* ipsissima verba; sed quod iniquius est, quasi falsi reum condemnas, asserens per summam impudentiam, me illam ne quidem legisse. Modicae, seu verius, malae fidei, quare de allegata ejusdem Constitutionis veritate dubitasti? Sycophantorum est, textus, qui nunquam extiterint, confingere. Ignominiosam istiusmodi artem homines decipiendi penitus ignoro. De ea ingenuum accusare virum flagitiosissimi hominis tessera est. Qua fronte a me requiris, quod ipse in dissertatione tua de S. Hieronymi patria non praestitisti? De ipsamet Constitutione sermonem facis pagina 83. 88. et Constitutionis ejusdem textum non affers? Qui praedicas non furandum, furaris? Nova est haec tua, atque omnino inepta mihi improperandi ratio. Verum faciam tibi satis, ut cervicis tuae duritiam mea docilitate vincam. Igitur sic ait Urbanus (1) VIII. „Adaucto vero numero, in „futurum illius beneficio praenominatae Ecclesiae sub Turcis constitutae, additis Tinnien., Dumanen., seu Dalmaten., Stridonen.; „Tribuniensisque, in Dalmatia Turcica etc.“ Percipis ne, Ciccarelle, ipsiusmet Urbani VIII. sententiam, qua Stridonem in Dalmatia suo tempore Turcica extitisse affirmat? En Goliath caput proprio ipsius mucrone amputatum.

§. XX. Rideo advocatum qui patrono egeat. Scribis in Apologia (2) tua, defensionem te suscepturum amici tui *Micheli-Vitturi*, quem judicas

(1) Bullar. Rom. tom. 6. part. 1. §. VI. pag. 47. Romae 1758. typis Hieron. Mainardi.

(2) Pag. 20. 21.

scientia mihi praefendum, eumque propterea dedignari de rebus litterariis mecum disputare. Inanis est isthaec jactantia. Unumquodque non personarum, sed rerum pondere judicandum est. Quod ad nos spectat, posteriorum potius expectemus de nobis ipsis iudicium, prout scripsit S. Hieronymus (1).

§. XXI. Rosacium respondentem ad interrogationem: *Salona quid?* ostendi, me non ex definito Rosacii sententiam defendere, sed ea expressisse quae legeram, ut lectoris arbitrio derelinquerem, utrum eadem sententia probanda esset, an improbanda. Quamvis nec aberrassem latum quidem unguem a veritate, si de Salona cum Rosacio sensissem, cum Rosacium in sua sententia minime improbassent Romanorum Doctissimi, qui Ephemeridum suarum tomo 13. incompleto (2) sic scriptum reliquerunt: „Salona, nei tempi antecedenti chiamata Hillena, Silena, antica quanto Troja“. Sane Summi illi satisque emunctae naris Viri impetum in Rosacium sua ipsorum eruditione fecissent, si Rosacius minus recte scripsisset. Sufficiebant omnino, Ciccarelle, tibi, quae strictim quoad Rosacium reposui. Sed ne in aliquo cavilleris, et te quasi lubricus anguis evolvas, tantorum, tamque insignium Scriptorum stringendus eras vinculis, ne querulus sibilis, et dicas, te magis argumentationibus tortuosis, quam ratione, et autoritate superatum.

§. XXII. Objicis mihi (3), quod Illyricum

(1) Praefat. lib. 2. in Oseae Proph.

(2) Pag. 9. num. 3. li 27. Gennaro 1798.

(3) Pag. 21.

Rados nomen in *Raphael*, praegrandi errore ductus transformaverim. Reprehensorem meum hic arguo imperitiae; et stultissimum esse, Ciccarelle, scias, docere, quod noverit ille quem doceas. Origenes (1) asserit propter vernaculum linguae uniuscujusque idioma, non posse ita apud alios nomina sonare, ut apud suos dicta sunt; et multo melius esse non interpretata ponere, quam vim eorum interpretatione tenuare. Unaquaeque Provincia habet aliquid in dicendo proprium, quod alia aequè habere non solet. Racusinae ditionis homines *Rados* Illyrice, *Gaudentium* latine interpretantur, *Baldo* vero *Balthassar* efferunt; e contra vero Dalmatae primigenii, qui idiomatis Illyrici puritate praee omnibus praestant, quorumque sum ego conterraneus, *Rados Raphael*lem, *Baldo Ubaldum* dicunt. Ciccarelle, vide, quomodo, juxta fabulas Poetarum, tuo te ense etiam in hac objectione lacerasti. Verissimum est quod apud Graecos canitur: *Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat*. Graecum nunc insuper in te, Ciccarelle, impletum est proverbium, ut sus doceret Minervam.

§. XXIII. Qui artis Criticae profitetur scientiam, pollere ipse debet et ingenii perspicacia ad discernendum, et prudentia ad iudicandum. Scioli hodierni hoc in more positum habent, ut dum ipsis antiqui Scriptores favent, nihil sane apud illos Antiquitate sanctius, nihil venerabilius. At ubi suas opiniones, in quibus unice se amabant, veterum testimoniis labefactari convellique animadvertunt,

(1) Apud Hieron. Epist. 26. tom. 1.

tum antiqui Scriptores nihil sapiunt, vulgi rumores, nullo delectu, nullo satis certo auctore, aucupantur, uno verbo, artem criticam funditus ignorant. Quid est hoc, nisi veterum auctoritati illudere, eosque prae se despicerere, et contemnere? Ciccarelle, sic profecto ab amico tuo *Micheli-Vitturi* male habitus est Madius. Si Madius viveret, amicus tuus non adeo in Madium insolesceret. In causa Madii doctiorum virorum expectemus in nos sententiam, ad quorum integrum iudicium te simul cum amico tuo provoco. Per tuam stultitiam multum sua in me malitia debacchata est. Renuistis audire docentem? Auditis redarguentem.

§. XXIV. Quicumque disceptationes has nostras legerit, intelliget ille quidem, Marmora mea ab utrisque pro solo livore culpari. Si tibi me errasse in meis Marmoribus Antiquarii deprehenderit, ignoscent illi quidem, quia aliter solent habere Apostolos, aliter reliquos Tractatores: sciunt enim illos semper vera dicere, istos in quibusdam velut homines aberrare. Tu vero, et amicus, Ciccarelle, tuus canonem hunc recte de Tractatoribus iudicandi penitus ignorasse probamini. Vaferrimi ad detrahendum, cur toties a proposito aberrastis? Quid vobis cum Lapidaria? *Ne sutor ultra crepidam*. Marmora duo Castri Vitturi nec sic magnae molis esse visuntur, ut ab Salonis in Castrum traducta non fuerint, nec una cum sepulcris ibidem reperta referuntur, ut indigena habeantur. Canon est apud Antiquarios, Marmor parvum, atque sine sepulcro, ubi de mortuariis Marmoribus agitur, in quopiam reperiuntur loco, Marmor loci nequaquam esse, sed

aliunde ibidem commigrasse, si praefatis duabus destituatur conjecturis. Simile quid nobis accidit in expositione parvi Marmoris Burnistarum, ut in Marmoribus Macarensibus nostris pag. 94. est videre.

Scriptimus Naronam hiatu terrae Vespasiani tempore absorptam. Verum opella nostra, quae Jaderae typorum publicationem expectat (1), ostendit ex Marmore quodam Desnensis modo Curatae Ecclesiae S. Georgii, Naronam sub Hadriano interiisse. Nova securiorque antiquitatis detectio, veritatis amatorem cogit ad priorem immutandam sententiam.

§. XXV. Rempublicam Salonitanam olim extitisse non solum probat numisma, et Marmor inter Tragurienses nostros (2) relatum, sed etiam aliud Marmor a Lucio editum Venetiis anno 1673 pagina 33. Hoc *prope rudera Amphitheatri Salonarum*, ut ipse Lucius scribit, repertum, Venetias commigravit, atque in praesentem usque diem visitur in domo cuiusdam Veneti patricii viri. Scriptores Clarissimi Sponius, Muratorius, Zacharias, et quotquot fuerunt, qui illud ex Lucio excripserant, licet minus deturpatum, inexactum tamen ediderunt. Praeclarissimus vir Abbas Morelli, Venetae Sancti Marci Bibliothecae praeses, praecellentis geographicae, quae in eodem hoc Marmore extat, Inscriptionis deturpatae dolens vicem, eam anno superiore, medioque praestantissimo viro

(1) Romanarum Antiquitatum Analecta quaedam pag. 13. 14. 15.

(2) Pag. 26.

mihi amicitia conjunctissimo, Joanne Kreglianovich Albinoni Jaderensi, ut extabat in Marmore, ipsissimam remisit, postulans, ut ego eam meis commentariis illustrarem. Confestim, ut potui, viris eruditissimis morem gessi. Duo in ea Inscriptione negotium facessebant, nempe sigla MUNICIPI RIDITAR., et CURATORI REIPUB. SPLENISTAR. Quod ad sigla RIDITAR. spectat, Municeps civitas RIDITARIUM nomine in Dalmatia extitisse censenda est, sicut etiam extabant sexto Ecclesiae saeculo civitates SARSENTERUM, et LUDRUM, de quibus quamvis nunc in Geographia nihil, in Actis tamen sinceris Concilii II. Salonitani fit sermo, sicut etiam duo alia Municipia LONTINUM, et STANTINUM vocitata, de quibus nos in Macarensibus Marmoribus nostris ut pagina 86. est videre. Sed quid sibi velit illud SPLENISTAR., nos legendum diximus sic: CURATORI REIPUBLICAE SALONITARUM. Quadratarum namque solius vitio SPLENISTARUM, pro SALONITARUM irrepsit. Nec ad aliam, quam ad Salonitanam Rempublicam diximus Marmor ipsum pertinere, cum illud magnae molis sit, et penes Amphitheatrum eruderatum fuerit. Atque haec omnia et singula probant plusquam evidenter Salonitanae Reipublicae existentiam.

Nec Strabonis textus nobis objectus veritatem argentei (1) recensiti nummi vel minimum laedit: plus enim facit, autoritas Viri doctrina et eruditione praestantissimi, qui numisma supra memoratum pluries inspexit.

(1) Vide Marmora Traguricensia nostra pag. 50.

consideravit, legit, manibus contrectavit, viroque Italo, velut praeclarum munus dono dedit, quam graecanici Strabonis assertio; quam licet dissertissimam, extantia facta penitus excludunt. Strabo namque putandus est ignorasse omnino tum Salonitanam Rempublicam, tum ejus cusos nummos: unusque prae caeteris Critices est canon, rem quampiam ab ingenuo, docto, nec a praejudicatis opinionibus corrupto viro visam, non minus constanter credi debere, quam si visa fuisset (1) a nobis propriis oculis.

§. XXVI. Superfluum puto, reliquas, Cicarella, apertas Apologiae tuae ineptias confutare. Cave, ne similia iterum scribendo insanias; *interdictum enim tunc mihi non erit, rabidum canem Herculis clava repercutere.*

Jam vero Palinodiam Stesichori more cantato. Nec erubescas de commutatione sententiae: *non es tantae auctoritatis et famae, ut errasse te pudeat.* Fractam cervicem dejice; mihi que de Apologia tua victoriae triumphum vel invitus concede.

Hieronymianae Epistolae 102. verbis hisce Apologiae tuae terminos conclusisti: „ Sufficit „ (enim) mihi probare mea, et aliena non „ carpere. “ Facta dictis adversantur, ut Apologiam tuam, nostramque hanc ipsam Refutatoriam Epistolam legenti patet. Debueras, Cicarella, persequi quae subsequuntur, haec ipsissima verba: „ Caeterum optime novit prudentia „ tua, unumquemque in suo sensu abundare,

(1) Logica praecit. part. 4. cap. 7. pag. 262.

» et puerilis esse jactantiae, quod olim adole-
 » scentuli facere consueverunt, accusando illu-
 » stres viros, suo nomini famam quaerere.

Scito demum, me serius quam putabas, recepisse Apologiam tuam. Eam sine loci, unde prodierit, nomine, et absque Superiorum placito furtivis typis impressam, vix summis omnibusque precibus a Viro, cui eam cum pluribus in vulgus emittendis exemplaribus transmisseras, consequi potui. Jam Viri ejusdem iudicium persensisti: quippe qui tuam Apologiam improbando, in pluteis suae ipsius Bibliothecae ejusdem exemplaria consepeliendo suppressit. *Cum scribere nescias, tacere disce.*

Vale: et Deum ora, ut sit tibi mens sana in corpore sano.

Macarschae in Dalmatia die prima Decembris 1812.

Perpendat Lector hanc Refutatoriam Epistolam; et quidquid in ea aculeatum perspexerit, illud ab Hieronymianis scriptis excerptum esse sciat. Etiam charitas suos habere dicitur aculeos. Angelicus Doctor docuit (1) laudabile omnino esse, impugnare falsitatem cum acrimonia.

(1) 2. 2. quaest. 38. art. 1.

FINIS.

LETTERA

DI FRA ANTONIO LAICO DE' MM. OO.

DELLA PROVINCIA

DI SAN GIROLAMO IN DALMAZIA

AL SIG. CAN. EX PROVICARIO DI MACARSCA

DON GIO: GIUSEPPE PAULOVICH LUGICH.

SECONDA EDIZIONE

Ingenium sine iudicio stultitia est.